
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


HARVARDIANA ACADEMIA IN NOV·ANG
ET
VE RI
TAS
CHRISTO ECCLESIAE

DE

AMICITIA APUD ARISTOTELEM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD GRADUS DOCTORIS RITE CAPESSENDOS THESIM PROPONEBAT

ÉMILE KRANTZ

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
PROFESSOR AGGREGATUS ORDINIS PHILOSOPHIÆ

PARISIIS
APUD GERMER BAILLIÈRE ET C°
108, via dicta boulevard Saint-Germain

—

MDCCCLXXXII

DE

AMICITIA APUD ARISTOTELEM

DE

AMICITIA APUD ARISTOTELEM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

AD GRADUS DOCTORIS RITE CAPESSENDOS THESIM PROPONEBAT

ÉMILE KRANTZ

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
PROFESSOR AGGREGATUS ORDINIS PHILOSOPHIÆ

PARISIIS
APUD GERMER BAILLIÈRE ET C°
108, via dicta boulevard Saint-Germain

MDCCCLXXXII

ORNATISSIMO VIRO C. BENOIT

FACULTATIS LITTERARUM IN ACADEMIA NANCEIENSI DECANO

GRATI ET DEVOTI ANIMI HOC PIGNUS

DEDICAT

DISCIPULUS OLIM, NUNC COLLEGA

REVERENTISSIMUS

E. K.

DE AMICITIA APUD ARISTOTELEM

(Eth. Nic., Lib. VIII et IX.)

Amicitiæ beneficia litterario apparatu celebrare quam naturam philosophica ratione explicare facilius est; eam ideo scriptores necnon poetæ amplissimis ac notissimis laudibus illustrare soliti, minus autem philosophi plane perspicere aggressi sunt.

Plato nempe, seu in Phædro, sive etiam in Lysi, de amore potius quam de amicitia scripsit.

Epicurei ipsi, apud quos amicitia, quum in doctrina, tum in vita potissimum valuit, illam metaphysice tractandam parum curaverunt.

Neque Marcum Tullium omittemus qui in dialogo de Amicitia ubere subtilique stilo rem felicissime amplificavit; interdum autem discurrisse disputationem passus est, oratoria vi raptus; aut quæ magis philosophica protulerit, hæc a peripateticis libris transtulit.

Solus inter ceteros, Aristoteles in περί φιλίας capitibus, rem penitus tractasse et amicitiæ, quamdam, ut ita dicam, exposuisse θεωρίαν videtur.

Quam ita examinare in proposito habemus ut liqueat primo quæ sint apud Aristotelem et origo et

natura et species et virtus amicitiæ: deinde ut constet illam amicitiæ definitionem, quam obtinuerimus, cum reliqua philosophi nostri doctrina arctissime congruere.

I.

Quod si e græco in latinum opelli titulum vertimus, quam φιλίαν Aristoteles vocat, *amicitiam* dicere cogimur. Quæ quidem translatio non exacta. Nempe φιλία amicitia latior est, atque pro qualicumque amandi facultate haberi debet.

Scilicet, si animi affectus ex ordine, pro cujusque extensione describerentur, φιλία generis, amicitia vero speciei locum obtineret.

De Amicitia in libris VIII et IX Ethicorum Nicomachorum disseritur. Eadem materia rursus tractatur tum in Ethicis Eudemiis (1), tum in Magnis Moralibus (2); denique in libro VII Politicorum quomodo exoriatur amicitia quibusque incrementis adjuta adolescere soleat Aristoteles breviter attingit.

Dum modo varios hos tractatus contuleris, communemque partem, qua de amicitia agitur, perpenderis, e comparatione mox patebit Ethica Nicomachæa ante cetera, quæ supra indicata sunt opera, fuisse composita. Nempe tum Ethica Eudemia tum Magna Moralia nihil aliud videntur quam eadem dissertatio cui et adstrictior forma,

(1) *Eth. Eud.*, Lib. VII, cap. I.
(2) *Magna Moralia.*, lib. II, cap. XI.

et lucidior ordo addita fuerint. Licebit ideo Aristotelis de Amicitia opinionem a Nicomacheis Ethicis solum deducere quoniam, quidquid de materia senserit, id totum in hoc libro continetur.

Notandum tamen discrimen quoddam, tenue quidem ac subtile, nec vinculo ita arcto præsentem ad disputationem pertinens, sed ex quo argumentum usurpari fas sit unde tractatus noster vetustate præstare demonstretur. Etenim in posterioribus (1) disputationibus non semel de caritate erga deum quæritur ; in priore vero nulla dei mentio.

Porro nobiscum reputemus Eudemium pietate, ut fama est, insignem fuisse ejusque scripta manifestam religionis ferre notam, ita ut illa de caritate erga deum non nulla verba auctorem ac quasi obsignatorem Eudemium testentur.

Quidquid de Amicitia Aristoteles scripsit, situm est septimum inter librum in quo de Temperantia, et decimum ultimumque librum in quo de Voluptate disserit, Politicorumque libros, mox inde secuturos, præfatur : ita ut, sic medio loco locata, transitus quasi ac confinium Moralem inter ac Politicam scientiam Amicitia videatur, utriusque particeps (2). Ex altera enim principium ducit ; per alteram vero in usum rapitur atque fit agilis et copiam qua exerceatur invenit.

(1) *Mor. Eud.*, Lib. VII, cap. XI.

(2) Λέγονται δὲ φιλίαι συγγενική, ἑταιρική, κοινωνική, ἡ λεγομένη πολιτική. (*Mor. Eud.*, Lib. VII, cap. X.)

DE

AMICITIA APUD ARISTOTELEM

stantia constet ; tum demum deducant quid, ita munitus, agere debeat, quid non ; quis sit in vita appetendus finis, quæ vitia vitanda : sic de amicitia triplicem in modum hic tractabitur, cujus tum formam ac genera, dein naturam atque originem, tum demum munera et provinciam nos ex ordine indagari, Aristotele magistro, decebit.

II.

Exordio philosophus noster de amicitia non aliter verba facit quam scriptores illi qui, morum studio indulgentes, laudationem ejus communem in locum verterunt. Quidquid de re tam pulchra, tam jucunda simul ac tam utili senserint homines, aut cum grata verborum copia dictitaverint, id noster colligere non omittit, argumenta experientiæ opinionisque, etsi vulgaria ac pernota, usurpare non dedignatus (1). Nec mirum, dummodo tecum reputes qua disserendi ratione Aristoteles uti soleat : quippe qui ad summum propositi fastigium ex improviso non evolet, sed in locis humilioribus libentius moretur, ubi quasi impetum colligat ; quæstionis limina ante circumspicere accurate videtur, quam penitus in rem penetrare pergat ; quumque cogitationes ac ratiocinationis tenorem ad sublimia intendat, sensim ascendere curet ac quasi per gradus quorum jam firmitatem fuerit expertus.

Itaque primum de amicitia tritiora (2) : scilicet

(1) *Eth. Nic.*, Lib. VIII, cap. I.
(2) *Eth. Nic.*, Lib. VIII, cap. II.

res est ad vitam degendam maxime necessaria. Quis enim sit qui sine amicis vitam sibi optabilem esse ducat, etiamsi ceterorum bonorum copia circumfluat? Præstat ideo amicitia bonis omnibus quæ, ea sublata, obsolescunt.

Etenim qui ceteris bonis abundant, ii potissimum amicitia indigent. Quem enim fructum e prosperis rebus ac fortunis perciperet, is cui nullus superesset benefaciendi locus? Aut quonam modo rem lautam sine amicis custodire incolumemque servare posset? Nulla vitæ, sublatis amicis, securitas superest, gratia nulla. Illi enim nobis indigentibus juvant, opulentos defendunt, adolescentes a vitiis deterrent, et ad bonum, sodalicii beneficio, promptiores faciunt : seniores autem contra solitudinem desideriumque tutantur.

Neque solum amicitia hominum societati necessaria res est, sed nobis etiam naturaliter insita : natura enim nos allicit ad diligendum jussitque affectionem inesse iis, qui procreassent aliquid, erga genitum, neque in hominibus solum sed etiam in animalibus ipsis; nec solum privati amicitiæ vinculis inter se continentur, sed etiam civitates atque gentes et genera; imo, ad res quæ mente concipiuntur, extenditur amandi facultas, scilicet gloriam, honorem, patriæ instituta aut majorum memoriam.

Adde his amicitiam decoram esse ac pulchram : qui eam colunt et venerantur, eos nos invicem et veneramur et colimus; permultosque amicos ha-

bere, id optimum arbitramur. Præterea sunt qui eosdem viros bonos et amicos esse putent.

Quæ postquam amicitiæ prædicationi de more concesserit, Aristoteles primam disputationis partem, quæ ad varia amicitiæ genera spectat, aggreditur.

III.

Hæc est amicitiæ definitio : Virtus quædam, aut res cum virtute conjuncta (1).

Quæ rectius *partitio* dici potest : cui nempe addenda est, ut vera definitio fiat, differentia specifica, scilicet propria signa peculiaresque habitus quibus amicitia a qualibet virtute, ut justitia, vel temperantia, vel quadam alia distinguatur.

Itaque, postquam amicitiam esse virtutem indixit Aristoteles, rursus qualis sit amicitia, seu quænam virtus, inquirit.

Quod ut assequatur, primum ad vetera monumenta de more confugit, doctrinasque a superioribus philosophis emissas revocat. Ita assuetam hanc sibi et huc usque singularem observat rationem per quam philosophiæ ut ita dicam historiam adumbraverit; nec se in solitaria meditatione coarctavit, alienas opiniones omittens, sed contra cum prioribus sapientibus fecundam ac liberalem doctrinarum societatem iniit, ac quasi mutuationem intelligentiarum instituit quæ inde magis atque

(1) Ἔστι γὰρ ἀρετή τις ἢ μετ' ἀρετῆς. (*Eth. Nic.*, Lib. VIII, cap. I.)

magis, præsertimque apud nostrates, ratiocinandi suprema lex habita est.

Empedoclis (1) igitur sententiam commemorat qui nullam, nisi inter similia, amicitiam esse posse contendit : dein Heracliti (2), apud quem nulla est amicitia, vel potius nulla duorum aut animantium aut rerum anima carentium copulatio, nisi ex contrariis : nempe vocibus tum gravibus, tum acutis, una prolatis, nasci harmoniam. Si ad animalia respexeris, genera per maris feminæque coitum gigni continuoque renovari animadvertes : ita ut philosophi, alii aliam, pro cujusque ingenio, ejusdem rei explicationem protulerint, atque inter amantes amicitiam, inter res anima carentes concretionem, e conjunctione elementorum, vel similium vel contrariorum, pendere sint arbitrati.

Hic attendamus Platonis opinionem ab Aristotele omnino fuisse prætermissam. Qua omissione confirmari videtur judicium illud de Lysi sæpe productum, Platonem videlicet quæ non sit amicitia potius quam quæ sit in hoc dialogo definiisse.

Sed ut ad Empedoclem Heraclitumque revertamur, non in hominibus solum sed in rebus naturalibus etiam amicitiam consideravisse illis placitum est, atque ita quæstionem ultra præsentis propositi fines prolatavisse. Nunc vero, non de universa rerum natura, per *odii amorisque* motus explicanda

(1) *Eth. Nic.*, Lib. VIII, cap. I.
(2) *Ibid.*

agitur, sed de ea amicitia quæ humana est: ὅσα δ'ἐστὶν ἀνθρώπινα καὶ ἀνήκει εἰς τὰ ἤθη καὶ πάθη.

Quo spectet amicitia, quibus adhibeatur quibusque repugnet, id igitur nunc perspiciendum.

Omnia prorsus non æque nec promiscue diligimus, nec cuncta pariter diligenda nobis videntur : sed ea solum quæ *amabilia* ducimus.

Res autem, quas amabiles habemus, quasque ideo, quæ amentur dignas profitemur, sunt aut *utiles* aut *gratæ*, aut *bonæ* : res quæcumque bona est, eadem simul et grata et utilis evadit; non vero invicem necesse est quidquid gratum aut utile videatur, sit idem bonum. Bonum igitur absolute amabile, ideoque amandum asserere possumus ; nec quibusdam modo, sed omnibus. Utile vero non erga omnes, sed erga nonnullos utilitatem habet. Item de grato : alios alia juvant.

Insunt igitur vel animantibus, vel inanimatis tres *qualitates* quæ illa efficiant amabilia ; idcirco sunt (1) tres causæ a quibus originem ducere possit affectus : sed ut aliquem, vel rem aliquam diligamus, non satis est unam ex illis qualitatibus retineat.

Exempli gratia, vinum nobis aut utile aut jucundum est, sæpius jucundum simul atque utile. Rideatur tamen si quis dicat vinum esse sibi amicum seque vino bene evenire velle. Quod quidem quum conservari cupimus, non ad vini, sed ad nostram utilitatem respicimus. Quamobrem causa cur vinum

(1) *Eth. Nic.*, Lib. VIII, cap. II, sq.

amemus, non per se vinum, sed nosmetipsos e vino propriam utilitatem aut voluptatem esse percepturos.

Inde liquet nullam a nobis cum rebus institui posse amicitiam, etsi quadam parte amabiles existant, nisi ipsæ amori nostro invicem respondere posse videantur. Necesse est res, non solum dignæ sint quæ amentur, sed etiam amicitiæ consciæ ac participes.

Antiquior igitur amicitiæ conditio, ut mutua sit aut aliquando mutua fieri posse videatur. Nihilominus, non necesse est amicitia eo temporis puncto, quo inchoata sit, fiat reciproca.

Natura enim ita comparatum est ut alteruter ex amantibus alterum prior amare inceperit : sed quod affectum quemdam fuerit expertus ac testatus, eo ipso mutuum amorem a se exoptari atque impetrari significat.

Quin imo : ut vera dici possit amicitia, necesse est quæ dilexerimus, non pro nobis sed pro ipsis diligamus ; neque erga amicum eodem sensu, quo erga vinum utamur : mendax enim et vanus amor ille quem erga vinum profitemur, quoniam nullo pacto gratuitus est, sed ad id unum spectat ut voluptate quadam aut utilitate fruamur. Affectus igitur ille quem adversus res anima carentes, et sensus expertes imparesque gratiæ mutuæ habemus, non φιλία sed φίλησις, id est non amicitia sed *amatio* vocandus est.

Nullus ideo, nisi inter homines, amicitiæ locus,

quia solus homo homini bene evenire velle potest. Quod quidem εὔνοια seu benevolentia dicitur.

Plus valet quam amatio benevolentia, minus autem quam amicitia, cui propior quidem, non tamen omnino par est. Nempe qui alicui bene vult, is optime paratus est ut inde amicus fiat, nondum autem vere amicus adest. Institui quidem jam amicitia potest, ac quasi incepta videtur, sed nondum perfecta. Quæ ut perficiatur, necesse est ut mutua fiat hæc benevolentia, atque quæ jam in altero nata fuerit, ab altero non impar invicem proficiscatur.

Quod si erga aliquem inscium benevolentiam habes, vel si idem ille habet erga te inscium, atque alter ab altero ita diligitur ut se diligi nesciat uterque, amicos vos nemo jure ac merito declarare poterit.

Quæ quum ita sint, dum modo quæ supra enucleata fuerint colligamus, eæ amicitiæ conditiones ponendæ sunt : habeamus videlicet terminum, ut aiunt philosophi, duplicem, sive adsint homines gemini in quibus aliquid versetur quod vel utilitatis, vel jucunditatis, vel boni causa diligi possit. Denique, sit mutua benevolentia, et ejus uterque conscius.

Tria igitur constituenda sunt amicitiæ genera quia in iis, quos amamus, quid sit utile, aut quid gratum, aut quid bonum spectamus; item a benevolentia quæ causis, unde profecta fuerit, respondere solet.

Etenim, qui amicum propter utilitatem amat,

eum quam utilissimum fieri exoptabit, atque ut sodalibus magis atque magis prodesse possit summo opere cupiet atque enitetur; qui propter jucunditatem, jucundissimum: qui propter ipsum, ut ita dicam *ipsissimum*, volet atque efficiet.

Quocirca, qui propter commodum ac voluptatem amicitiam expetit, is non ipsum hominem, non amici personam diligit, quoniam id, a quo pendet utilitas ac gaudium, nobismet ipsis fortuito accedit, atque observatur temporis causa, lubricum quidem et fluxum, nedum natura insitum et usque mansurum.

Quod si carum quemdam habes, quia locuples est, aut quia formosus, et juventa florens, sublatis forte divitiis, vel cum annis recedentibus pulchritudine ac valetudine, tum detracta ideo caritatis causa, eumdem diligere desines.

Quod si non ad ipsam personam pertinet amicitia, sed ad id quod vel fortuna, vel ætate, vel casu aliquo personæ fuerit additum, ubi hæ caducæ defecerint opportunitates, amor nullo pacto superesse poterit.

Quæ quum ita sint, ut expleatur verum amicitiæ munus, nunc confugiendum ad habitum quemdam natura insitum ideoque perennem, qui nec vicibus commutari, nec fortuna aut morbo levari, nec vi aliqua a nobis unquam detrahi possit; neque ullum alium invenies præter virtutem.

Unius enim virtutis proprium est sibimet ipsi indesinenter constare, atque animo, in quo semel

adoleverit, tam arcte cohærere ut, non modo pars quædam animi, sed animus ipse esse videatur.

Neque bonum in nobis inest tanquam qualitas quædam, quæ ut jucunditas, vel utilitas tum adjici tum adimi queat; sed bono constituitur ipsa animi essentia : quam si sustuleris, totum hominem recides.

Ea demum sola est amicitia quæ in virtute posita est, quoniam virtus, quum natura vult se esse æternam, amicitiam una secum perennem efficit.

Sed jam compertum habemus quidquid bonum omnibus sit, idem unicuique hominum esse bonum. Velut si *genus humanum* ratione præditum dixerimus, necesse erit unusquisque hominum sit rationis particeps. Ita fit ut bonum omnibus et absolute diligendum sit, quoniam, quidquid amabile est, in se continet.

Quare igitur, quum quæ utilia aut jucunda sunt, eadem amabilia esse prædiximus, necesse est bonum, quia amabile visum est, jucundum sit atque utile.

Ea vis est hujusmodi amicitiæ quæ, virtute profecta, viros bonos inter se continet, ut bonum et voluptatem et utilitatem conjunctim præbeat, et tres amoris facies, quas supra definivimus, in se comprehendere valeat. Illæ autem necessitudines quæ e voluptate commodisque pendent, a vera amicitiæ facie tam longe discrepant, ut hujus attenuata quasi exemplaria deformatæque imagines esse videantur. Quæ tamen cognatione quadam cum per-

fecto amoris genere conciliantur, quod cum eo commoditatem oblectamentumque communicant.

Quoniam autem vera amicitia originem principiumque a virtute ducit, neque, sublata virtute, ullo pacto permanere vel etiam institui potest, sequitur ut quæquæ sint virtutis propria, eadem cum amicitia communia fiant, vel potius amicitia virtus quædam evadat, atque inter optimas sit annumeranda.

Sunt autem duæ virtutis formæ (1): scilicet aut natura ita morati sumus, ut boni fieri possimus, atque in nobis semina quasi virtutis insita habeamus, quibus, ut inde crescant et adolescant, vis voluntatis addenda est; aut nos bonos agendo præstamus, nec solum in hac intentione, quæ nos ad virtutem inclinat, moramur, sed virtutem exercemus atque hanc benefaciendi *potestatem* per *actus* producimus ; quorum genera alterum καθ'ἕξιν, alterum vero κατ'ἐνέργειαν vocat Aristoteles, ut virtuti quoque duos illos modos, quos jam ceteris assignavit, adscribat. Item ab amicitia.

Quum enim amici nihil amplius agunt quam ut alterum alteri bene evenire velint, mutuæque benevolentiæ notitiam habeant, et, quidquid in utroque amabile visum fuerit, ut crescat et augeatur vehementer optent, nec ultra progrediuntur; hos καθ'ἕξιν amicos philosophus noster designat. Quibus profecto satis fuerit ut semel amorem aut verbis

(1) *Eth. Nic.*, Lib. VI, cap. II; *Pol.*, Lib. VII, cap. XIII.

aut quodam alio documento significaverint, atque posthac absentes et dissociati, benevolentiam mutuam habuisse perrexerint, non ita dissimiles ab illis, quos supra benevolos diximus, nec eis præstantiores nisi quod benevolentiæ hi conscii, illi vero inscii fuerint.

Etsi recte ac bene sese habent qui amicis benevolos se ostendunt, rectius tamen ac melius erit si beneficia non solum excogitaverint atque exoptarint, sed etiam magnopere præstiterint.

Tota enim virtutis vis (1), non in meditatione, sed in actione est. Neque omnino perfectum dicemus eum qui in bona mente morabitur, quique, quidquid boni conceperit, id efficere non fuerit conatus.

Itaque, ut verum amicitiæ munus expleatur, necesse est qui optimo ac perfecto amoris genere conjuncti fuerint, communem vitam agant et alii aliis continua societate cohæreant, nec quidquam præstabilius præsentia, deterius absentia arbitrentur.

Quoniam amicus bonum simul et emolumentum et oblectamentum amico est, ubi alter ab altero sejunctus fuerit, hæc omnia cum societate ac quotidiano commercio recedent; tum amicitia aut frangetur aut minuetur, atque in *benevolentiam* revolvetur. Quæ quidem permanere poterit et in pectore et in mente, sed excogitata modo ac concepta neque, ut

(1) *Eth. Nic.*, Lib. II, cap. V.

ita dicam, efficax et agens. Quamobrem philosophus noster summum amicitiæ in hac sententia optime conclusit : nihil tam aptum esse amicis, quam una vivere : οὐδὲν γὰρ οὕτως ἐστὶ φίλων, ὡς τὸ συζῆν (1).

Superat ut breviter inquiramus quæ sint conditiones in quibus homines communem vitam agere queant. Scilicet ut removeantur discordiæ causæ, oportet ut de commodis ac de jucundis socii plane consentiant.

Atenim ii viri boni habendi sunt quibus bonum atque utile atque jucundum unum atque idem exsistit, quique virtutem solam per se utilem pergratamque ducunt, nec quidquam, extra virtutem, commoditatem gratiamve præbere posse opinantur.

Inde fit ut viri boni, quoniam de virtute omnino consentiunt, simul de jucundo ac de utili, quæ demum in virtute continentur, nullo modo dissentire queant : qui eadem de bono, pariter eadem de ceteris existiment necesse est.

Nullam igitur societatem, nec ullam ideo, nisi inter bonos amicitiam esse posse, cum Aristotele profitendum est. Ita conclusionem exsecuti sumus, proposito prorsus congruentem, quaque plane confirmatur definitio illa, exordio posita, a qua tota disputatio inde profecta est, scilicet : amicitiam virtutem quamdam esse, aut rem cum virtute semper conjunctam.

(1) *Eth. Nic.*, Lib. VIII, cap. V, l. 30.

IV.

Quæ supra diximus, ea ad amicitiæ *qualitatem*, ut philosophorum sermonem usurpemus, pertinent. Nunc autem de *quantitate* disputandum.

Quum enim res ita perspicere possis, ut tum quales, tum quantæ sint, duplici respectu, inquirere liceat, nunc cum amicitia non aliter agendum. Quod quidem peripateticæ rationi potissimum quadrat.

Videamus igitur quæ sit, ut ita dicam, amicitiæ summa, quam amicus alter alteri persolvere debeat.

Quam quidem satis jam definiisse fortasse videmur quum eam conditionem posuimus, amicitiam videlicet mutuam esse debere. Quomodo enim cum amico tuo mutua caritate obligatus jure ac merito dici posses, nisi quantum te ille, tantum tu illum redamares ? Aut quem amorem, non falso nomine, reciprocum vocabimus, nisi eum qui ab utroque par proficiscetur ?

Attamen longe alia mens est Aristoteli : quam paulum nobis liceat explicare quo planius liqueat.

Scilicet noster philosophus profitetur nullum aliud amicitiæ principium esse quam τὴν ἰσότητα (1), nec ullum amoris genus, bonove aut commodo aut jucundo constitutum, æqualitate illa carere posse.

(1) Ὅταν γὰρ κατ'ἀξίαν ἡ φίλησις γίγνηται, τότε γίγνεταί πως ἰσότης, ὃ δὴ τῆς φιλίας εἶναι δοκεῖ. (*Eth. Nic.*, Lib. VIII, cap. VII, l. 34)

Ut vim atque munus τῆς ἰσότητος dilucide perspiciamus, nobiscum reputandum est quibus conditionibus res inter se pares dici queant.

Ea porro est quantitatis qualitatisque convenientia, ut vera æquatio non ab alterutra solum sed ab utraque pendeat. Sic, auri libram plumbi libræ æquam esse dicemus, dummodo ad quantitatem unam materiæ respiciamus : quas autem, quoniam qualitate impares sunt, eas absolute æquas prædicare non poterimus.

Ita, si tu amicum pro utilitate amares, ille vero te pro te ipso diligeret, etiam si parem amicitiæ summam alter alteri persolveret, tamen hujuscemodi caritatem nullo pacto æqualem profiteremur; imo vero, iniquam illam potissimum habere deberemus, quoniam æqua amicitiæ quantitas cum impari qualitate juncta fuisset. Quare necesse est res quantitate pariter ac qualitate pares sint, ut perfecta fiat æquatio.

Verumenimvero, ex his quæ supra de utili ac de jucundo explanavimus, sequitur eamdem ambobus esse naturam; neque enim rerum essentiam constituunt, sed essentiæ tanquam accidentia, mobilia fluxaque, identidem accedunt. Itaque amici, qui sese κατὰ τὸ συμβεβηκός diligunt, iidem sese cum æqualitate diligere poterunt, dum modo parem voluptatis summam mutuentur.

Finge contra ex amicis nostris alterum pro bono, quod substat, alterum autem pro voluptate aut utilitate, quæ accidunt, ab altero diligi. Tum omnis

amicitiæ ratio convertetur; *æquatio* nempe cessabit; atque fiet quæ a mathematicis *proportio* vocari solet.

Quæ quum ita sint, nunc duos fingamus viros bonos, mutuo amore conjunctos; scilicet quia alter alterius virtutem redamat, hanc qualitatem, in utroque parem, prætermittere nobis licebit, haud secus ac communia elementa, quibus forte sublatis, nihil in æquatione nostra mutaretur.

Respiciamus igitur solam ad quantitatem, eamque iniquam fingamus. Fas sit denique mathematico more uti, atque alterum ex nostris A, alterum autem B appellare, quorum priori virtutem IV, posteriori vero virtutem II attribuemus.

Nunc, quæ sit amicitiæ summa, ab utroque aut concessa aut accepta, ut vera ἰσότης instituatur inquirendum.

Profecto, si definitionem illam amicitiæ exordio prolatam repetimus, quoniam eam inter virtutes Aristoteles annumeravit, atque virtutis quidquam semper retinere prædixit, id jure ac merito nobis videbitur, ut mutuus amor ab utroque impertitus utriusque virtuti respondeat, ita ut melior majorem, pejor autem minorem amico caritatem præbeat. Sic, plus amaret quam amaretur, qui magis in virtute profecisset. Nec mirum : quia sapientior, quidquid ad sapientiam pertineat (at enim amicitia cum sapientia semper conjungitur) id amplius haberet necesse esset.

Qua de re omnino dissentit Aristoteles. Quippe

qui utrumque ex amicis pro virtute propria amicitiam viritim, non præstare, sed contra accipere debere præcipiat (1).

Virtuti enim uni, quæ in utroque sita est, caritas debetur ac conceditur. Virtus ideo causa est, non cur amemus, sed amemur. Qui melior exstiterit, idem majore amore dignus habendus erit, neque veram ἰσότητα prius assequetur quam amorem sibi debitum obtinuerit.

Erit igitur hæc æqualitatis lex atque ratio, ut talem amicitiam præstet uterque, qualem non suæ propriæ virtuti, sed alienæ respondeat. Quam rationem, non *æquationem* sed rectius, cum mathematicis, *proportionem* dicemus. Ergo A in quo inest virtus IV, a B amicitiam IV accipiet, qui invicem amicitiam II ab A persolvet, quoniam virtute II præditus est.

Itaque per ἰσότητα intelligere debemus, neque æqualitatem quamdam, qua ab origine inter amicos exsisteret, quaque natura pares evaderent ; neque amoris mutui summam, quæ utrinque æqua haberetur ; sed rationem qua fit ut amicus alter alterius virtuti justam et consentaneam caritatem præbeat. Quare demum ἰσότης a justitia proficiscitur.

Idcirco, duo homines, vel si virtute impares sint atque ingenio, æqua tamen amicitia inter se con-

(1) Ἀνάλογον δ'ἐν πάσαις ταῖς καθ'ὑπεροχὴν οὔσαις φιλίαις καὶ τὴν φίλησιν δεῖ γίνεσθαι οἷον τὸν ἀμείνω μᾶλλον φιλεῖσθαι ἢ φιλεῖν, καὶ τὸν ὠφελιμώτερον, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον ὁμοίως. (*Eth. Nic.*, Lib. VIII.)

tineri queunt. Neque necesse est, antequam amicitia instituatur, in utroque ea reperiatur æqualitas. Ἰσότης demum non causa amicitiæ sed effectus : non efficit amicitiam, sed contra amicitia efficitur.

Quoniam amicos impares diximus, si alteri maximam, minimam vero alteri virtutem attribuerimus, eosque inter se discrepantes ac dispares ad libitum finxerimus, hic etiam exigendum erit ut fieri possit ea æqualitas, nisi forte in ejus definitione erraverimus.

Exempli gratia, sit alter ex terminis nostris, Deus ipse, scilicet is quo nemo præstare valeat. Cujus infinitæ virtuti, infinitum, ut fiat æqualitas, amorem omnis homo debet : homini autem nullum a Deo amorem deberi jure ac merito dicere poterimus, quia præ divina virtute humana virtus, etiamsi maxima excogitetur, nulla est. Inde sequetur ut Deus homini nullo pacto amicus esse queat.

Quam consequentiam non in Ethicis Nicomacheis expressit Aristoteles. Sed tum in Magnis Moralibus (1), tum rursus in Ethicis Eudemiis (2) non semel reperiuntur hujusce modi sententiæ : hominem scilicet a Deo non posse diligi, quoniam infi-

(1) Γελοῖον γὰρ εἴ τις ἐγκαλοίη τῷ θεῷ ὅτι οὐχ ὁμοίως τὸ ἀντιφιλεῖσθαι ὡσ φιλεῖται. (*Mor. Eud.*, Lib. VII, cap. III, l. 14.)

(2) Διὸ δὴ οὔτε τὴν πρός τὸν θεὸν φιλίαν ἐπιζητοῦμεν οὔτε τὴν πρός τὰ ἄψυχα, ἀλλά τὴν πρός τὰ ἔμψυχα, καὶ πρός ταῦτα ἐν οἷς ἐστὶ το ἀντιφιλεῖν. (*Magn. Mor.*, Lib. II, cap. XI, l. 26.)

nita ac perfecta virtus in Deo versatur. Quibus satis comprobari videntur, quæcumque Aristotelis opinioni supra adjecerimus.

Nunc autem, si res infra nos positas animadvertimus, et ad animalia, vel ad inanima respicimus, hic etiam eadem ratio servabitur. Nempe quæ aut animo aut vita carent, iisdem ipso facto deficit virtus; ac, deficiente virtute, minime digna sunt, quæ diligantur.

Quæ quum ita sint, non absurdum est asseverare nullam Deum inter et hominem amicitiam institui posse, dummodo concedatur Dei infinitam, hominis autem nullam ex comparatione exsistere virtutem. Quæ ratiocinandi copia apud mathematicos assueta ac licita viget, quum videlicet radios geminos, ab eodem sidere ductos, etsi reipsa obliqui divaricant, parallelos tamen dicunt, quoniam ab orbe terrarum sidus *infinite* distare habetur.

Constat igitur ἰσότητα nihil aliud esse quam amicitiæ summam pari virtutis quantitati adæquatam. Quam definitionem rectam ac probatam habebimus, quod ad extrema vim habet atque omnibus terminis adaptatur ac convenit.

Nunc autem, ne id ad vivum amplius resecare pergamus, atque ut nostram disputationem de stricto ratiocinamento ad vulgares vitæ necessitates delabi patiamur, videndum quænam lex in amicitia sanciatur, quum humanæ conditioni sese accommodet. Quæ enim menti vera apparent, eadem æpius effici perfecte nequeunt: res quæ ad mores

pertinent, haud secus ac figuræ quæ a mathematicis concipiuntur, sese habent : ut linea pura, quæ in mente geometræ insidet, ubi in tabula inscribitur, fit patula, deviaque, et omni modo imperfecta ; ita præcepta, quum e ratione in vitam decidunt, atque ex conceptis acta fiunt, vim illam mathematicam remittant necesse est, atque multiplices in modos flectantur.

Porro propria ac prope singularis Aristotelis laus est, quantum distarent, quæ menti placuerint, ab iis quæ effici possent, acutissime dijudicavisse. Quumque plerique philosophi, alii ratione, sola alii sola experientia libentius usi fuerint, ille utrique pariter indulsit, nec minore studio perspexit quales res esse possent, quam quales esse deberent.

Itaque, in hoc quidem longe a Platone magistro discrepans, quum metaphysicas leges absolute deduxisset rerumque naturam, rationi conformatam ac perfecte constitutam perspexisset, tum ad humanam conditionem conversus, infirmitatemque mortalium spectans, quidquid restrictius præcepisset, id temperamento quodam mitigare ac mollire curavit, quo promptius hominum vitæ accommodaretur.

Quare perfectam amicitiæ speciem intuens, ad humaniorem amorem de more venit.

Est enim in amicitia, ut in ceteris, modus quidam communis, quem ratio pura constituere dedignatur, quique usu ac experientia modo determinari potest. Scilicet, nobis ad vitæ consuetudinem

respicientibus, minime vero consentaneum esset, si profiteremur æqualitatem illam, seu ἰσότητα, quæ amicitia exigitur, semper et ubique effici posse, etiamsi ii qui mutuam benevolentiam appetunt, et ingenio, et fortuna, et munere quam maxime discreparent. Imo contra : ut res bene sese habeant, atque necessitudo, quæ instituenda est, nec ficta nec caduca evadat, necesse est ii, qui societatem inire cupiunt, jamjam æqualitate quadam, natura comparata, concilientur. Igitur in inchoandis amicitiis exoptandum est ut, qui sese conglutinant, indole, studiis, ætate, fortuna jam prope pares sint. Superiores enim sese cum inferioribus ægre exæquant. Privatus, humili loco natus, neque deo cuidam, neque etiam regi vere amicus esse poterit; atque demum eo magis prompta, et firma, et diuturna erit amicitia quo magis similes inter se sodales conjunxerit.

Exsistit autem hoc loco hæc quæstio subtilis : Num decet amicum amico summum bonum exoptare, scilicet ut deus fiat ? Recte respondebimus id fore bene dummodo in terrestribus bonis votum moretur. Humana enim ac terrestris res amicitia est, neque illam ultra fines humanitatis excedere fas est, nisi a se ipsa omnino alienetur.

Ceterum, cur amicum meum *divum* fieri exoptarem, quum ignorarem quales tum ipse sensus indueret, qualique animo, ita auctus, erga me uteretur ? Imo : quoniam eum pro ipso diligo, qualem noverim, ut talis usque permaneat expetam,

cavens ne, mutata conditione hominis, simul desidat fortasse prisca erga me benevolentia.

Ergo, ea amicitia, quæ humano generi propria est, μεσότης quædam videtur, ceteris animi affectibus simillima, qui medii sunt atque inter extremos, extremorum quasi temperamento quodam constituti, locantur.

Neque dubitandum est quin ita Aristoteli placuerit quum hanc definitionem in Magnis Moralibus reperiamus : φιλία δ'ἐστὶ μεσότης κολακείας καὶ ἔχθρας.

V.

Quoniam eo loco locati sumus ut vim μεσότητος attigerimus, nunc ad eam amicitiæ speciem transeundum est, quæ in qualibet hominum societate versatur, atque inquirendum qua ratione quibusque modis eæ leges, quas ratiocinamento supra constituimus, vitæ adaptari atque quoad observari queant.

Atqui virtutes inter necessarias, sine quibus nulla hominum conglutinatio permanere valet, præstantissimam esse justitiam asseveravimus (1) : quam ubi sustuleris, nulla jam supererit communiter vivendi copia.

Verum in omni amicitia aliquid justitiæ inest, quoniam amicitiam nihil aliud esse diximus quam

(1) *Eth. Nic.*, Lib. V, cap. V.

justitiam, cui mutuæ benevolentiæ necessitudo adjecta fuerit.

Ceterum nulla, sine quodam amicitiæ momento, communitas. Qui societatem quamlibet, vel arctiorem, vel remissiorem iniverunt, jam sunt iidem vinculo quodam amoris inter se obligati.

Varia autem ac multiplex communitatis ratio.

Nempe sunt plura quæ communia dicantur inter fratres quam inter cognatos, inter cognatos quam inter cives. Igitur necesse est ut justitiæ modus communitatis modo æque respondeat. Quo magis arcta communitas, eo magis stricta justitia. Scilicet injuria si a te in fratrem tuum illata fuerit, multo magis te peccasse constabit, quam si eamdem adversus aut cognatum aut civem quemvis admisisses.

Ita fit ut amicitia, tum justitiæ, tum communitatis æque particeps, iisdem teneatur legibus ac demum jus idem sequatur.

Quod ut perspiciamus, quid sit communitatis principium nunc indagandum.

Juxta Aristotelis sententiam, omnis communitas ad civitatis imaginem informata est (1). Respublica ideo perfectum quasi specimen habetur a quo societas quælibet originem ac formam ducit, ita ut a republica familia, non autem a familia respublica pendeat.

Nos contra, apud quos recentiora valent historia-

(1) *Polit.*, Lib. I, cap. I et II, et Lib. III, cap. IX.

rum documenta, longe aliter res sese habuisse rati sumus. Quippe quibus societates hominum paulatim increvisse videantur, parvis globis ortæ, atque a familia in civitatem, deinde a civitate in Rempublicam sensim fuisse conflatas, addito temporis momento : ita ut minimæ maximas paulatim pepererint, nedum ab illis tanquam ab exemplaribus ac demum a typis profectæ fuerint. Quod quidem tum rationi magis consentaneum, tum rebus ipsis magis probatum.

Veteres autem philosophi tum notitias rerum, in mente insitas, tum res ipsas, particulares ex universis natas libentius arbitrabantur : totaque Platonis doctrina illum antiquitatis sensum contraxisse ac potissimum expressisse videtur, quum quæcumque aut agantur, aut moveantur, aut excogitentur, a perfectis exemplaribus, superiore loco sitis, originem ac formam ducere professa fuerit (1).

Itaque principium idem idemque finis communioni cuilibet ac ipsi reipublicæ assignanda sunt. Societates nempe privatæ quæ in publica societate continentur ad communem utilitatem pro sua virili parte spectant, atque finem certum, peculiarem cuique ac præsentem habent. Illi autem fines, ubi alii alius additus atque aptatus fuerit, tum in finem communem ac futurum coalescunt et conspirant, summum scilicet bonum universæque communionis utilitatem.

(1) PLATO, *Phedo*, 78 c. *Philebus*, 15. A. B. *Rép*. Lib. VI. *Tim.*, 28 a. ARIST. *Mét.*, A., cap. IX.

Interea tamen quælibet ex his particularibus societatibus proprium aliquid retinet, unde genus quoddam peculiare amicitiæ gignitur : ita ut, postquam de amicitia vel qualis, vel quanta sit huc usque quæsiverimus, superest, ut amplius perspiciamus quemnam ad finem spectet, quaque ratione, quibus copiis assignatum finem consequi valeat.

Aristoteles porro tria esse administrandæ reipublicæ genera asseverat (1), scilicet regnum, optimatum principatum, tum demum potestatem e censu constitutam, seu *timocratiam* : quæ, quum pessumdantur atque in deterius eunt, in tria genera, a superioribus nata, tyrannidem, oligarchiam democratiamque declinant.

Item familia, quoniam rempublicam imitatur sex formas, quarum aliæ tres optimæ, tres autem aliæ deterrimæ habentur, induit : pater quasi rex est, qui si pravum regem sese præstiterit, tyrannus fit. Quod si ad nodum respicis quo maritus atque uxor inter se obligantur, hunc simillimum deprehendes vinculo quo cives in aristocratia viventes continentur.

Quæ quasi conjugalis aristocratia invicem declinare potest atque in obligarchiam prolabi, si forte maritus imperium non pro animi præstantia sed pro corporis robore exercuerit. Familia demum a fratribus directa, timocratiæ par est, atque quum depravatur in omnia democratiæ vitia vergit.

(1) *Eth. Nic*, Lib., VIII, cap X.

In quolibet aut familia aut reipublicæ genere amicitiam ac justitiam pari ratione et modulo metiri fas est. Sic paterna caritas regiæ caritati simillima: cives qui in aristocratia vivunt non alia amicitia inter se continentur quam conjuges : denique germanum germanus diligit amore eodem quo in timocratia civis civem ; inde fit ut in civitatibus forte pessumdatis, justitia simul ac amicitia pari lapsu decrescant. Tyrannum scilicet inter et servum, sublata omni communione, nulla superesse potest amicitia. Alter enim eorum alteri eadem obligatur ratione qua instrumento opifex, vel animæ corpus, vel servo dominus. Animantia vero cum inanimis amicitiam quamlibet inire nequeunt. Servus, quoad servus habetur, instrumentis quidem non autem hominibus annumerandus est. Quem ideo non possumus tanquam instrumentum amare, quoniam inter instrumentum et civem nihil commune. Servum autem civis amare potest, non ut servum sed ut hominem, quoniam inter illos tum communis est humanitas.

Cuique amicitiæ generi et jura et munera assignantur quæ aut ex ipsa amicitia proficiunt, aut quasi circa amicitiam versantur.

Inter amicos virtute conjunctos nulla controversia fieri unquam potest (1). Quod si alter plura ac majora beneficia tribuerit quam acceperit, neuter stomachandi locum habebit, neque qui alterum bene-

(1) *Eth. Nic.*, Lic. VIII, cap. XIII.

ficiis superaverit, quoniam id sponte ac libenter, neque jussus neque coactus fecerit; neque qui munificentia ab altero fuerit superatus, quia non humanum est invidere eis qui officia nobis contulerint.

Ne in amicitiis quidem propter voluptatem conciliatis admodum sæpe querelæ oriuntur. Sodales enim qui nihil aliud quam oblectamentum et mutuam delectationem a sodalicio expetunt, ubi ex ipsa consuetudine tædium, e societate fastidium quoddam perceperint, non stulte criminabuntur, sed rectius amicitiæ pactum diriment atque alter ab altero discedet.

At inter sodales qui societatem, utilitatis causa, iniverunt, multæ sunt causæ cur dissensiones existant, quoniam homines beneficia quæ dederint majora, quæ vero acceperint minora pretio suo existimare solent.

Ceterum ut duo justitiæ genera constituimus, justitiam scilicet *moralem*, ac justitiam *legitimam*, duoque jura, jus *naturale*, ac jus *scriptum;* ita, duo amicitiæ genera constituenda sunt, quorum alterum *morale*, alterum *legitimum* vocabimus (φιλία ἠθική καὶ νομική) (1). Ex amicitiis una in moribus posita est altera in legibus.

Amicitia in legibus posita est atque *legitima* dicitur, quum alter ex *pactoribus* mercedem certam, certo die, alteri se præstiturum pollicetur. Neque

(1) *Eth. Nic.*, Lib. VIII, cap. XIII.

vero in hac obscurum aut dubium est id quod debetur.

Amicitia autem quæ e moribus pendet certis præscriptisque conditionibus non constat : sed alter alteri tanquam amico, aliquid donat atque expetit tantumdem aut plus etiam ab amico sibi restitui. Quo in amicitiæ genere difficilius est *debitum* ab utroque definire, quoniam plus quam datum fuerit repetere humanum est. Iis qui negociantur, ut assequantur τὴν ἰσότητα, communis quasi modulus, pecunia videlicet in promptu est.

Sutor nempe textorve, vel alius quidam opifex, ut rem creditori solvat aut pretium in solutum accipiat, ære utitur. Quanti valeant nummi, id omnibus pernotum et nummorum ipsa natura ac usu constat.

Non item de beneficiis, quæ nec significationem certam, nec pretium manifestum habent.

Quis autem beneficii pretium constituet? Isne qui fecerit, an potius ille qui acceperit?

Etiamsi neutri liceat, propter humanam imbecillitatem, beneficii vel tributi, vel accepti pretium cum absoluta æquitate existimare, Aristoteles tamen opinatur magis consentaneum justitiæ fore si beneficii pretium, ab illo qui acceperit, constituatur. Nos ideo jubet Protagoram philosophum libentius imitari, qui nullam mercedem certam a discipulis repetebat, sed copiam cuique facere solebat pretium quodlibet, pro liberalitate propria, remunerandi.

Attamen, tacito quodam inter pactores contractu, *natura* pretii indicatur. Finge musicum quemdam qui pro carminibus pecuniam a te exspectet : nullo modo allegare poteris te pares rationes cum illo habere atque pretium debitum ei retulisse, si reposcenti nummos, congratulationum summam persolveris.

Item in amicitiis. Si amicus, virtutem amico pollicitus, oblectamentum modo vel utilitatem præbuerit, illum adulterinis nummis usum esse jure ac merito dicemus. Quod quidem sæpius evenire solet quum amici sensus mutaverunt, neque quales initio fuerant, ultra permanserunt. Si quis aliquem propter virtutem in amicitiam acceperit, atque is postea se non virum bonum, sed tantummodo gratumve aut utilem ostenderit, nonne causa erit cur amicitia dirimatur?

Ad eam igitur subdifficilem venimus quæstionem, num fas sit necessitudines unquam dissolvi.

Profecto, quoties de amicitiis propter utilitatem aut voluptatem constitutis agetur, nullus erit controversiæ locus. Etenim, quoniam hujusmodi amicitiæ e nulla alia causa pendent, nulla ratione reguntur, a principio nullo originem ducunt nisi aut commoditate aut oblectamento, ubi oblectamentum ac commoditas forte sublata fuerint, simul cessabit amicitia. Nempe, ut aiunt philosophi, sublata causa tollitur effectus.

Amicum autem quem *pro ipso* dilexeris, cuique et caritatem, et benevolentiam, et fidem, tanquam

viro vere bono annueris, ac quasi ipso facto in æternum promisisse visus fueris, num licitum ac decorum erit si ille unquam a te deseratur? Nempe in *perennitate* veræ amicitiæ et conditionem et signum posuimus. Ea enim sola tempus superat ac vicibus, quæ cetera terrestria mutant et diruunt, immunis habetur.

Quamobrem si talem amicitiam dirimi posse concedamus, quomodo illam deinde fuisse *veram* asseverare poterimus, quoniam non perennitatem sed finem habuerit? Si contra amicitias dissociari vetamus, quomodo veram rursus vocabimus amicitiam quæ, mutatis amicorum animis, jam a virtute bonoque in utilitatem aut voluptatem, quæ fluxæ sunt, declinaverit?

Quem nodum ut expediamus, intima amicitiæ natura perspicienda est.

Vera amicitia non ex ὁμοδοξίᾳ sed ex ὁμονοίᾳ procedit. Ut duo homines optimi generis amicitia contineantur, non necesse est de *scientia*, sed de *bono* tantum consentiant (1). Est νοῦς, non δόξα quod amicos facit; *ratio* non *opinio*. Quod si ego et tu de siderum motibus, aut de aliqua quæstione, quæ ad rerum naturam pertineat, dissentimus, nihilominus tamen, quin optimæ amicitiæ munus omnino perficiamus, prohibemur.

Quoniam duabus e partibus constituti sumus, quarum altera fluxa et mobilis, altera vero fixa et sibi constans est, vera amicitia quæ durare ac sibi

(1) *Eth. Nic.*, Lib. IX, cap. VI.

constare debet, in ea parte nostri sita erit quæ cum ipsa amicitia similitudinem habet. Porro studia nostra mutantur, flectuntur in diversum ratiocinationes, fluunt notitiæ, repugnant opiniones; ea quidem in nobis sunt, at nos non sumus in illis; sunt pars animi nostri, non autem ipse animus; neque ideo locum stabilem amicitiæ diuturnæ præbere possunt.

Parum igitur refert dissidant intelligentiæ; sat est consentiant voluntates; nam omnis amicitiæ vis non in cogitatione sed in actione est.

Qua autem in animi parte, *actionem* illam qualitate optimam ac quantitate maximam reperiemus, nisi in ratione, id est in ea facultate summa cui idem est et cogitare et agere? Est enim cogitatio quædam excellens ac sui generis, quæ non solum ad *scientiam* sed etiam ad ipsam *virtutem* spectat atque nos plus quam *doctos*, id est *bonos* efficit. Hæc est quæ sola amicum amico omnino persimilem efficere valeat, et communitatem illam perfectam atque perennem instituere sine qua vera amicitia neque inchoari neque etiam excogitari possit.

Itaque quum alter ex amicis de finibus bonorum et malorum cum altero dissentit, id est quum alienos sensus induxit atque deteriorem professus est doctrinam; quæ non solum *falsas notitias* in mentem inducere, sed ipsam *agendi rationem* pervertere ac depravare valeat, tum effluit ipsa persona; commutatur homo ipse; a se alienus fit; non jam amicus tuus est, sed alius quidam, advena quasi atque igno-

tus, quem amplius diligere neque debes, neque etiam potes absente causa cur diligatur. Malus est, atque ea est amicitiæ natura ut a malis rebus abhorreat. Quæ quum ita sint, omnes amicitiæ conditiones una deficiunt. Amicum enim ab amico *dissimilem* habemus ; neque ulla nisi inter similes amicitia : non *sibi constantem ;* at vera amicitia *constantia* potissimum viget atque alitur : denique a *bono discedentem* ; at nihil præter bonum amabile. Quid mirum si amicitia sponte intereat ? Quamobrem, postquam corrupto amico incassum succurreris, eumque adeo depravatum inveneris ut improbitas ejus insanabilis apparuerit, talem virum deserendo nihil absurdum facies : Δόξειε δ' ἂν ὁ διαλυόμενος οὐδὲν ἄτοπον ποιεῖν· οὐ γὰρ τούτῳ ἦ τοιούτῳ φίλος ἦν (1).

Sunt igitur tres amicitiæ gradus :

1° φίλησις, seu genus summum amationis, quo fit ut res anima carentes mutuique amoris impares studio quodam complectamur.

2° εὔνοια, seu benevolentia, quæ quidem non nisi inter homines institui, sed tamen inter absentes aut inscios existere valet.

3° Denique φιλία, seu proprio nomine amicitia, per quam duo homines, commercio continuo conjuncti ac natura jam prope pares, amorem mutuum cum *æquitate* habent.

Superest autem genus quoddam amicitiæ superioribus sublimius, cujus ratio æquitate ipsa præ-

(1) *Eth. Nic.*, Lib. IX, cap. III, l. 46.

stat, ac plus quam ἰσότητα assequitur : quando alter ex amicis, plus quam ab amico suo acceperit sponte reddit, debitumque amoris modum libenter excedit. Quam rarissimam amicitiæ speciem εὐεργεσίαν, seu beneficentiam Aristoteles vocat (1).

Quænam sit beneficentiæ natura inquirendum. Scilicet natura ita comparatum est ut, qui beneficium alicui contulerit, is magis amicus accipienti sit quam ille gratus erga eum qui contulerit. Cujus inæqualitatis, quæ ἰσότητα præponderat, causa optima est.

Existere, id nobis præstantissimum est. Tota enim vis naturæ nostræ, ut quam maxime se expandat, sponte enititur. Cuncta, quæ creata sunt, vel animantia vel etiam inanima ut vigeant, et adolescant, et crescant nata videntur.

Quod si ad humanum genus respicis, animadvertes membra corporis nostri natura ita informata ac munita fuisse ut firmiora ac pulchriora fierent; animum autem ut scientiam et virtutem felicitatemque magis atque magis exoptaret atque obtineret. Quare quum beneficium alicui præstamus, ut is magis existat efficimus : ei aliquid addimus, a nobis detractum, ut ille amplior fiat. Vide sculptorem : statuam a se fictam adeo diligit ut ei vitam communicare propriumque inspirare spiritum excogitet ac cupiat. Etenim in ea vivit; per eam, personam suam quasi prolatat. Neque aliter agunt ipsi poetæ qui sua poemata potissimum haud secus ac liberos

(1) *Eth. Nic.*, Lib. IX, cap. VII.

amant. Imo suum quisque opus vehementius amat quam ipse ab opere suo redamaretur, si ex inanimo fortasse animatum fieret. Amicus igitur qui amico beneficium præstitit, eum, ut filium pater, diligit. Filius enim caritatem æquam parenti reddere non potest, quoniam caritatem a parente datam perpendere ac pretio suo existimare nequit. Is enim unus muneris pretium existimare valet, qui munus præstat; nempe rei tributæ conscientiam unus habet, qui tribuit; *causa* est beneficii, atque *causa* sola, quanti valeat effectus a se editus, penitus pernoscere par est.

Adde hominem qui alicui beneficium contulerit, eo magis hunc diligere quod fuerit causa cur aliquid pulchri et honesti fecerit. Sumus, ut ita dicam, grati erga eos qui nobis benefaciendi copiam fecerunt : ita ut gratiores evadamus pro datis quam pro acceptis beneficiis. Nimirum quia, quum beneficia accipimus, utilitatem percipimus ; quum autem damus, honestatem consequimur. Excellit vero utilitate honestas, ideoque honestatem, præstando, quam utilitatem, accipiendo beneficia consequi præstabilius.

Denique natura nobis cariora sunt ea quæ pluris constiterint. In operibus nostris, quod exsudaverimus ut perficerentur, id potissimum amamus, *causalitatem* nostram, in rebus expressam, ac voluntatis signum monumentumque conaminis nos juvat extra nos intueri. Humanum est exemplaria sui multiplicare atque personam suam in ævum spatiumque, per opera persona ipsa majora ac perenniora, prolatare.

Hæc est beneficentiæ natura atque vis. Videndum nunc num Aristotelis menti consequentia respondeant.

Atenim quem demum amat vir bonus nisi se ipsum atque unum, si in ceteris nihil amabile reperire possit quod non sibi simillimum visum prius fuerit? Homines, res, cuncta demum vel animantia vel inanima nullam retinebunt gratiam præter eam quam a nobis acceperint. Tum his omnibus tanquam speculis utimur, quibus arridemus libenter, quoniam imaginem nostram reddunt. Ut, non ad speculum ipsum, sed ad os nostrum speculo repercussum respicimus, ita non alios, sed in aliis nos amamus. Illaque, quæ supra dicebatur *generis humani* caritas, *nostri* demum unicus amor est. Quum beneficium alicui præsto, me in beneficio meo exprimere, et intueri, et diligere in animo est : quidquid boni effecerim atque posuerim in aliis, id tanquam amabile mei exemplar habebo, gratamque faciem, qua forte sublata, nihil in orbe gratum nec amabile superesset.

Quare quum amicus meus non jam *ipse* est, sed *pars* mei, tota non ad eum spectat, sed ad me amicitia revertitur.

Ex his concludere fas est beneficentiæ principium, postquam id penitus perpexerimus, falsa honestatis specie nos decepisse, atque nihil aliud esse revera quam amorem sui, qui turpissimus habetur : nisi forte sit quidam amor sui et generosus et honestus quem virtutibus annumerare deceat?

Hic Aristoteles audax simul ac egregium argumentum protulisse nobis videtur. Quippe qui professus fuerit quemdam existere amorem sui, pulcherrimis virtutibus non imparem, hunc videlicet generosum ac gratuitum amorem qui in viri boni seu σπουδαίου animo insidet (1).

Inde constituenda sunt duo amoris sui genera, quæ inter se omnino repugnant. Per alterum, quod deterrimum est, lubrica falsaque bona diligimus utque ad nos confluant, destitutis a possessione aliis, enitimur, caventes ne quis in partem veniat neque quemquam in opum societate esse passi; quod quidem, non *ratione* solum sed etiam *opinione* improbatum, vitium est eorum qui φίλαυτοι vocantur.

Per alterum autem, quod præstantissimum habendum est, hanc unam nostri partem quæ bona est, amamus : non nos sed virtutem quæ in nobis versatur, caritate pura ac gratuita amplectimur.

Placet enim Aristoteli, nos, quum boni evadimus, rationis divinæ, id est νοῦ esse participes, atque omne bonum in nobis insitum ab ea ratione emanare. Quum ideo vir bonus se amat, non hominem quemdam amat imperfectum atque fragilem, sed hanc boni rationisque partem in se versatam colit atque observat; quod demum honestissimum est. Tum, per talem hunc *amorem sui* cunctas simul diligit virtutes quæ in bono, tanquam species in genere, continentur, scilicet temperantiam, fortitudinem, justi-

(1) *Eth. Nic.*, Lib. IX, cap. VIII, l. 10.

tiam, fidem, amicitiam; ita ut eo amoris sui genere virtutes alantur et foveantur, quum contra altero fugentur atque obsolescant.

Neque solum ei, in quo est, sed etiam ceteris hominibus prodest optimus ille sui amor. *Bonitas* enim non in personæ finibus includitur; se autem expandere nata est. *Esse bonum,* quid aliud est quam *bene agere*? Inde fit ut omnis *bonitas* in *benevolentiam*, omnis *benevolentia* in *beneficentiam* necesse vertatur. Quare, sicut νοῦς humanus νοῦ divini particeps est, ita ceteri homines in unius virtutis partem venire videntur.

Itaque natura vis atque munus amicitiæ in hujusce modi sententiis commodissime concipiuntur: « Amicus meus alter ego est, » vel, « Amicum haud secus ac semet ipsum diligere. »

Quoniam autem natura ita comparatum est ut amantes amatis arctissime conjungi cuperent, virum bonum, sui amantem, secum vivere seu συνδιάγειν juvabit. Scilicet quæ in se amabilia sint, conscientia perspiciet ac ratione pernoscet. Ut sapiens νόησιν νοήσεως, sic vir bonus *amoris amorem,* ut ita dicam, habebit.

Nempe *existere,* id quidem per se ipsum bonum est; sed *conscium esse se existere,* id longe melius atque absolute optimum. Ut νόησις νοήσεως summa ratio, ita amoris conscientia summus amor. Prorsus *amor sui,* quum excellens est, nihil aliud est quam conscientia se esse bonum.

Quoniam autem amicus meus alter ego est, ejus

haud secus ac mei ipsius conscius fiam necesse erit : quare, quod ad corpus attinet, eum quam mihi proximum atque intima perpetuaque societate conjunctum habere cupiam ; quod ad mentem spectat, animi ejus tam conscius quam mei esse enitar. Nempe ut eamdem erga illum atque erga memet ipsum me habere amicitiam jure ac merito dici queam, necesse est vitam cum illo agam, ut vitam mecum ago ; conscientiamque ejus quasi præsentem atque apertam obtineam, ut meam obtineo.

At enim dicet aliquis : vir omnino bonus idem est perfecte beatus, quoniam virtuti felicitas arctissimo vinculo cohæret : ergo vir bonus nulla re caret (1) ; ipse ipsi præstantissimum bonum habetur ; absurdum ideo esset si amicos exoptaret atque expeteret.

Quod objectum ut breviter diluamus satis erit animadvertere neminem sine amicis beatum esse posse : ipsa enim amicitia felicitatis conditio atque elementum est. E definitione constat amicitiam esse virtutem. Finge autem virum quemdam bonum illius virtutis expertem ; sequetur inde eum non omnino esse bonum, neque ideo omnino beatum, quoniam ei una e virtutibus, scilicet amicitia deerit.

Id Aristoteli præsertim placuisse nobis videtur ; qui, nisi amicitiam virtutibus annumerandam sensisset nec semel usurpasset, nihil suppeditasset argumenti unde occurreretur huic doctrinæ quæ sapientem secum una vivere debere, perfectamque

(1) *Eth. Nic.*, Lib. IX, cap. IX.

virtutem in solitudine consequi posse inde professa est. Attendamus igitur nonnullas esse virtutes quæ principium atque originem ex amicitia sola ducant, patebitque virum amicitia carentem, eumdem iis virtutibus carere quæ ex amicitia pendent.

Quo argumento peripateticæ menti præcipue consentaneo, repellitur ea Stoïcorum doctrina quæ totam virtutem in persona coarctat, neque eam extra fines, ut ita dicam, animi se expandere patitur. Stoïcus enim totam vim sui colligit atque adhibet ut se unum magis atque magis perfectum et beatum efficiat, *humanitatis naturæque* immemor. Se *finem summum* habet, ceterisque, vel hominibus, vel rebus, utitur atque imperat, quasi tyrannus, ut bonum sui assequatur. Cujus virtutis proprium est obsistere repugnantibus, constare sibi, sibi intendere atque indulgere, societatem nisi secum inire, actionemque intimam in se uno exercere; nullum autem cum hominibus commercium, nulla erga naturam gratia; nullus ideo neque caritati, neque beneficentiæ locus. Stoïcus societatem optimam, perfectam virtutem, felicitatem summam in se invenit.

Longe alia videtur mens Aristoteli, qui *rationem* extra *naturam* versari non posse ratus, virtutem illam solitariam respuit, amicitiamque tum veræ virtutis speciem, tum felicitatis perfectæ partem esse profitetur atque demonstrat (1).

(1) Ἄτοπον δ'ἴσως καὶ τὸ μονώτην ποιεῖν τὸν μακάριον· οὐθεὶς γὰρ ἕλοιτ' ἂν καθ' αὑτὸν τὰ πάντ' ἔχειν ἀγαθά· πολιτικὸν γὰρ ὁ ἄνθρωπος καὶ συζῆν πεφυκός· (*Eth. Nic.*, Lib. IX, cap. IX, 1 36.)

EXPENDITUR ARISTOTELIS DOCTRINA

Nunc breviter colligendum qua ratiocinandi via in ea περὶ φιλίας disputatione philosophus noster usus fuerit, quaque concinentia ea amicitiæ facies toti doctrinæ respondeat ; denique videndum num nobis omnino placeat, quidque ei addendum sit, vel resecandum, vel mutandum ut recentiori metaphysicæ magis concentanea fiat.

Quod ad disserendi rationem spectat, satis liquet Aristotelem a *latissimo genere* profectum, per *species* medias, ad *individuam optimæ amicitiæ faciem* gradatim ascendisse.

Primum, quamdam ut ita dicam rerum amicitiam, universam atque ideo minimam existere concedit, qua natura tota coaguletur. Mox ad humanam amicitiam venit, cujus varios gradus describit, eamque societatis cujuscumque, reipublicæ, civitatis, familiæ vinculum esse demonstrat.

Denique egregium amicitiæ specimen exsequitur, scilicet privatam illam arctissimamque necessitudinem quæ inter viros bonos, virtutis causa, instituitur.

Tum, postquam perfectæ illius amicitiæ originem, naturam, principiumque constituerit, eam non quasi formam quamdam metaphysicam intuetur, ratione insidentem atque a vita humana adeo distantem ut *notitia pura* in mente comprehendi

debeat neque unquam ad effectum venire possit; imo postquam dissertationem suam ab experientia initam per rationem perfecerit, rursus eam a ratione ad experientiam reducit; ita ut ab amicitia, qualis in vita hominum exerceatur, profectus, ut inde perfectam amicitiæ speciem, qualis in mente insidere debeat, adumbraret; tum ea perfecta specie invicem utitur ut amicitiæ munera, qualia hominum moribus aptari queant, constituat. Quare ratiocinationis quasi circuitum describere ac circumlustrare videtur Aristoteles, qui ab *experientia* profectus, *rationemque* inde adeptus atque secutus, ad *experientiam* demum revertitur; longe a magistro Platone discrepans, qui postquam ab *experientia* ad *rationem* dialectice sese extulerit, in ratione tanquam in fastigio quodam commorari solet, neque unquam inquirere curat quonam modo mentis absolutæ leges flecti debeant ut rebus sese accommodare possint.

Erraret tamen qui Platonis μέθοδον præstantiorem arbitraretur, illumque assuetum Aristotelis ad experientiam regressum infirmitatem quamdam ingenii haberet, quod in edita puræ metaphysicæ statione sedere impar videretur. Aristoteles enim ἐμπειρίαν illam rationi adjicit, nedum in rationis locum adhibeat, *necessariamque* a priori affirmat atque ita, quidquid ἐμπειρικὸν tractet id potissimum ab ipsa ratione deducit (1).

(1) *Eth. Nic.*, Lib. II, cap. V.

Ceterum attendamus eamdem argumentationem non solum περὶ φιλίας disputationi sed etiam omnibus ἠθικῆς quæstionibus a nostro philosopho adhibitam fuisse; quippe qui χορηγίαν *vitæ* sapienti concesserit atque impetraverit ut veram felicitatem adipisceretur (1); multum dissentiens a Stoïcis qui virum bonum etiam in paupertate vel in tormentis omnino beatum esse posse profitebantur. Quamobrem, ut Aristoteles quasdam felicitatis conditiones jure ac merito exigit, scilicet satis longum vitæ spatium, valetudinem corporis, rerumque necessariarum copiam (μία γὰρ χελιδὼν ἔαρ οὐ ποιεῖ, οὐδὲ μία ἡμέρα · οὕτω δὲ οὐδὲ μακάριον καὶ εὐδαίμονα μια ἡμέρα οὐδ 'ὀλίγος χρόνος), ita amicitiæ elementa dinumerans recte postulat ut nativa quadam ingenii similitudine et æqualitate fortunæ amici contrahantur, numerusque amicorum non ita magnus evadat (2).

Adde his peripateticam amicitiam cum doctrinæ summa mirum in modum concinere quia insignis potissimum videtur *continuitate* illa, quæ propria est Aristotelis.

Ipsi enim animo φιλία simillima est. Placuit nempe Aristoteli tres facultates animo attribuisse, scilicet φύσιν seu naturam per quam vita, vel infima, aleretur; *sensus* deinde per quos res externæ per-

(1) Ἀδυνάτον γάρ ἢ οὐ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. *Eth. Nic.*, L. I, cap. V. *Eth. Nic.*, L. I, cap. IX. *Pol.*, Lib. VII, cap. XIII.

(2) Οὐδ' ἄνευ χρόνου φίλος. (*Mor. Eud.*, Lib. VII, cap. II.)

ciperentur; denique intelligentiam sive νοῦν per quem æternæ deprehenderentur veritates. Quæ autem facultates non tres ut ita dicam animos, sed unum ac simplicem animum componunt. Etenim in sensibus φύσις implicatur, atque invicem in intelligentia sensus, ita ut facultas quælibet superior inferiorem contineat, ut in generibus vel plantarum vel animantium perfectissimis infima jam continentur.

Illam igitur *continuitatem* (1) quam Aristoteles tum in animo, inter facultates, tum in natura inter genera animalium, gignentium inanimorumque instituit, rursus amicitiæ assignavisse videtur. Ut animum ad imaginem naturæ, ita amicitiam ad imaginem animi informavit. Itaque qui optimam amicitiæ speciem assecutus fuerit, ei non ideo inferiores deficient : imo tota serie a fortiori potitur atque amationis, benevolentiæ vel cujusvis alius amicitiæ formæ compos est, quoniam ut ad perfectissimum genus accesserit necesse est reliquas species, quasi gradus, prius transierit ac perlustraverit (2).

Continua igitur amicitia est, haud secus ac animus, aut rerum natura, aut etiam ipsa respublica; neque optima habenda est ab infima omnino dissimilis atque aliena : non alia est : melior est.

Ut genus humanum, quod ceteris præstat, aliquid

(1) *De gen. Anim.*, Lib. VIII, cap. I. *De anima*, Lib. II, cap. I.
(2) *De part. animalium*, Lib. I, cap. I. *De gen. anim.*, Lib. II, cap. III. *De anima.*, Lib. II, cap. II.

tamen animalis, aliquid plantæ, aliquid inanimorum in se continet ; ut ratio, quæ melior pars animi est, motum et vitam et sensum in natura sua amplectitur atque his propriam quamdam sui naturam superaddit, ita perfecta amicitia, quæ principium atque originem a bono ducit, in se et utilitatem et voluptatem et cetera necessitudinum genera contrahit nedum excludat atque repellat.

Nec satis est *continuitatem* illam deprehendisse quæ toti Aristotelis metaphysicæ communis est ; nobis præterea liceat quamdam *symmetriæ* curam animadvertere, nunc probatæ atque ipsi rerum symmetriæ respondentis, nunc autem non ita manifestæ et nimis artificiose conceptæ. Prorsus controversiæ locus est quum noster *familiam* adeo *reipublicæ* similem esse profitetur ut conjugum necessitudines timocratiæ, fratrum autem democratiæ legibus regi ac temperari contendat. Quam symmetriam minus mirabimur, quum nobiscum reputaverimus eam ingenii græci esse propriam. Apud Aristotelem, haud secus ac apud Platonem, *ars* quædam aliquando cum *scientia* miscetur (1) : quo fit ut non solum veritatem, sed etiam concinentiam atque pulchritudinem assequi noster sæpius curaverit. Itaque non semel e *scientia* excessit, quæ res, quales sint, perspicere satis habet, atque usque ad *artem* attigerit, quæ res quales eas esse vellet, concipit atque recreat.

(1) *De part, anim.*, Lib. II, cap. XIV ; Lib. III, cap. VII (τὰ σημειοῦ χάριν).

Nascitur inde symmetria illa, nimis quidem ut ita dicam *subjectiva,* atque rebus imposita plus quam a rebus ipsis profecta, quæ, apud Platonem insignis atque assueta, ab Aristotele, etsi modicius, tamen satis crebro usurpatur.

At enim, nonne perfectum illud amicitiæ specimen ab Aristotele descriptum forte repugnat cum *theoretica vita* quam Deo assignat hominique ideo, tanquam finem summum assequendum proponit? Neminem enim fugit ὁμοίωσιν τῷ θεῷ cujuslibet ἠθικῆς commune præceptum haberi, diversasque ἠθικὰς minus inter se discrepare virtutis definitione, quæ semper in Dei imitatione ponitur, quam ipsa Dei natura, e qua tota imitationis forma atque vis pendet.

Itaque Aristoteles de more sapientem ad imaginem Dei sui ἀκινήτου informat (1), eumque, ut Deum, solitariæ speculationi, suique ipsius notitiæ intentum esse ac demum θεωρεῖν jubet. Ars politica quam ceteris præstantiorem Plato prædixerat, et βασιλικὴν τέχνην appellaverat, secundum ordinem apud Aristotelem obtinet, nec jam a σοφίᾳ sed a φρονήσει procedit. Quare θεωρητικαὶ virtutes ἠθικαῖς virtutibus præstant (2); utque nullus in Deo amicitiæ locus esse potest, quoniam solus secum vivit nec

(1) Ὁ δὲ σοφὸς καὶ καθ'αὑτὸν ὢν δύναται θεωρεῖν, καὶ ὅσῳ ἂν σοφώτερος ῇ μᾶλλον. (*Eth. Nic.*, Lib. X, cap. VII.)

(2) Δοκεῖ ἡ εὐδαιμονία ἐν τῇ σχολῇ εἶναι· ἀσχολούμεθα γὰρ ἵνα σχολάζωμεν, καὶ πολεμοῦμεν ἵν' εἰρήνην ἄγωμεν. (*Eth. Nic.*, Lib. X, cap. VII.)

solum mundum non amat sed etiam mundi notitiam non habet, ita sapiens peripateticus, ubi sese Deo similem effecerit, in optimo amore atque sola sui contemplatione contractus, nullum cum hominibus commercium inire curabit, atque demum amicos dimittet (1). Itaque amicitia, quæ secundum Aristotelem virtus habetur, virtutibus non θεωρητικαῖς sed ἠθικαῖς annumeranda est, neque ideo principem locum tenet.

Ceterum attendamus perfectam illam sapientiæ speciem quæ tota in contemplatione versatur plus divinam esse quam humanam (2) : vir qui forte illam assequi potuerit, non jam homo sed quasi deus habendus erit; nullusque Deo amicitiæ locus, ut ab Aristotele ipso supra dictum est. Nobis igitur invicem liceat philosophi nostri morem usurpare, quo θεωρίαν inflectere, rebusque aptare soleat, reputemusque amicitiam potissimum humanam esse totamque in humana conditione contrahi debere : ὅσα δ'ἐστὶν ἀνθρώπινα καὶ ἀνήκει εἰς τὰ ἤθη καὶ πάθη.

Quamobrem concludere fas est *amicitiam* cum *sapientia* conciliari, quoad sapientia humanos sensus, ut ita dicam, induerit, atque intra humanæ conditionis fines sese continuerit. Ubi vero vir sapiens theoreticam vitam agendo, quasi divini-

(1) *Eth. Nic.*, Lib. VI, cap. 7, 8 et 9.

(2) Ὁ δὲ τοιοῦτος ἄν εἴη βίος κρείττων ἢ κατ' ἄνθρωπον· οὐ γὰρ ᾗ ἄνθρωπός ἐστιν οὕτω βιώσεται, ἀλλ' ᾗ θεῖόν τι ἐν αυτῷ ὑπάρχει·......Οὐ χρὴ δὲ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν ἄνθρωπον ὄντα οὐδὲ θνητὰ τον θνητόν, ἀλλ' ἐφ'ὅσον ἐνδέχεται ἀθανατίξειν καὶ πάντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ. (*Eth. Nic.*, Lib. X, cap. VII.)

tatem quamdam fuerit adeptus, minime mirandum si ei humanæ virtutes, cum humana natura simul ademptæ fuerint.

Denique ut de tota θεωρία judicium faciamus, desiderandum nobis videtur quod Aristoteles, tum *libertatis*, tum *personæ* notitiam in amicitia explicanda omiserit.

Revera antiquitati, et præcipue veteribus philosophis non ita placuit hominem esse *individuum*, scilicet *personam*, cui vis propria et sui conscientia usque permaneret. *Personæ* notitiam minus quam nostrates habuisse videntur antiqui, ideoque parvi fecisse hanc immortalitatis formam, quam ipsi facilius concipimus et libentius optamus.

Plerique nempe *pantheismo* imbuti, *Universum*, *Totum*, *Infinitum* plus quam *particulare* et *individuum* existimaverunt : imo, non abhorruerunt ab immortalitate quadam communi qua persona, post mortem, dissolveretur atque animus, æternus quidem, sed non distinctus, cum universa rerum natura sese permisceret. Prætermittamus Epicureos qui personam atomorum segregatione dissolvi, et Stoïcos qui eam ad vim universam post mortem reverti arbitrabantur. Illi etiam qui animam corpori superesse professi sunt, immortalitatem non in ævum sed in tempus ei concesserunt. Ex hac vulgi opinione doctrinam philosophi exhauserunt ; quidquid de *participatione* Plato senserit, nil aliud esse videtur quam vulgaris ille *Universi* amor, sed philosophica ratione metaphysicaque specie indutus.

Itaque vir bonus apud Aristotelem (qui non semel cum magistro consensit) eo ipso bonus est quod summi boni est particeps (1) : inter duos viros omnino bonos, quoniam uterque deo simillimus erit, nullum discrimen deprehendi poterit ; tum quoniam persona discrimine quodam ac differentia constat, perfecta illa similitudine persona adimetur.

Persona igitur deterrima pars nostri habenda erit, formaque temporalis quædam, habitusque fortuitus neque ad immortalitatem destinatus.

Imo persona nostra mors nos liberat, personæque vinculis ac quasi platonico φρουρίῳ exsolvit purum illud *universi* elementum quod, postquam in nobis per vitæ spatium coarctatum fuerit, tandem ad originem suam scilicet ad universum remigrat. Ut vere loquamur, veteres personam in corpore potius quam in animo posuerunt : Homerus αὖτον vocat id quod sepulchro conditur, dum autem ψυχή vana vivi hominis imago, incerto in loco vagans, vix conscientiæ simulachrum fabulosamque vitæ memoriam retinet.

Itaque quidquid in viro bono amabile est, quidquid amico diligendum præbetur, non *persona* quidem ad dissolutionem interitumque nata, sed pars quædam summi boni quæ in sapiente insidet ; non ingenium, neque indoles, neque demum id quo hominis cujuscumque natura efficitur propria ac sin-

(1) ...Τοῦ γὰρ διανοητικοῦ χάριν, ὅπερ ἕκαστος εἶναι δοκεῖ. (*Eth. Nic.*, Lib. IX, c. IV.)

gularis, sed commune illud æternumque elementum quod divina origine profectum animi nostri substantiam constituit (1). Quum ideo Aristoteles veram amicitiam in eo ponit quod amicum pro *ipso* amamus, per *ipsum* non omnino intelligendum est quod nos *personam* diceremus; nempe quod amicum *ipsum* atque *eumdem* esse efficit non ingenii singularitas, neque propria indolis natura, sed nescio quid *universi* atque *æterni* quod in omnibus bonis viris æque inesse debeat.

Atqui persona non solum est *substantia* individui sed etiam *forma* quædam peculiaris, qua individuus a ceteris distinguatur. Ut Aristotelis ipsius rationem usurpemus, duo personæ elementa discernemus, *materiam* scilicet et *formam* : *materiam* vocabimus hanc summi boni partem quam Aristoteles fixam atque perennem in optimo quoque esse jure ac merito prædixit; huic autem *materiæ*, *formam* quamdam addendam esse arbitramur (quam Aristoteles videtur propemodum omisisse) proprium videlicet habitum, quo fit ut homines, vel optimi, Deoque jam simillimi, diversi tamen atque distincti evadant. Quoniam ad alterum ex his personæ elementis Aristoteles non satis respexerit, in amicitiæ definitione aliquid claudicasse nobis videtur; quippe qui postquam veram amicitiam in *bono* rectissime posuerit, tamen non habuerit unde explica-

(1) Εἴτε δη νοῦς τοῦτο εἴτε ἄλλοτι, ὃ δὴ κατὰ φύσιν δοκεῖ ἄρχειν καὶ ἡγεῖσθαι καὶ ἔννοιαν ἔχειν περὶ καλῶν καὶ θείων, ἔιτε θεῖον ὂυ κατ᾽ αὐτὸ ἔιτε τῶν ἐν ἡμῖν τὸ θειότατον. (*Eth. Nic.*, Lib. X, cap. VII.)

ret quomodo nasceretur amicitia. Eam virtute ali atque augeri concedimus ; restat autem ut explanetur quo pacto occurrat amicitiæ inchoandæ causa. Etenim si in amico *bonum* unice diligerem, quæ causa esset cur cunctos viros bonos æqua caritate non amplecterer? Imo, pro virtute sua quemque amare deberem, nedum dilectionem meam in unum virum, a me sponte selectum, contraherem.

Tum amicitia, a propria natura destituta, recideret in hanc universam affectionem quam *caritatem* erga *genus humanum* vocamus, quæque officiis annumeranda est.

Inde sustolleretur ea pars libertatis quæ in amicis sponte eligendis et in numero, indole, ætate amicorum ad libitum determinandis consistit. Quare amicitia non omnino *virtus* dicenda est, quia virtus erga omnes exerceri potest atque debet, non autem amicitia : erga omnes bonus esse debeo, ubi locus benefaciendi atque copia adfuerint; non omnium amicus.

Ut aliquem tanquam amicum diligam, necesse est non solum eum omnibus virtutibus esse ornatum et dignum qui jure ac merito ametur ratione percipiam, sed etiam in se habeat nescio quid proprium quo, præ ceteris, benevolentiam meam sibi conciliet.

Bonum igitur non est ultima ratio amicitiæ. Ut sermonem mathematicorum usurpemus, *bonum* amicitiæ *conditionem* esse *necessariam,* non autem *sufficientem* profitebimur. Quare *bono* addemus, tum

personæ vim qua fit ut individuus quidam caritatem nostram, exceptis ceteris, in se convertet; tum *libertatem* per quam in eum caritatem ultro convertemus. Omnis dilectio, selectio est; atque ut seligere possimus, quem diligamus, non solum *ratione* utemur, qua virtutem alienam percipiamus ac perpendamus, sed etiam *libertate* per quam, e multis viris æque bonis, in unum amorem nostrum reportemus. Veniendum igitur ad egregiam et maxime philosophicam Montani nostri sententiam (1) quæ *personæ* vim in amicitia constituenda eximie patefacit quæque peripateticæ definitioni adjicienda nobis videtur, ne præcipua parte careat.

Ad summam, Aristoteles amicitiam in justitiam redigit. De *amabili*, de *qualitatibus* quæ *amandæ* sint libentissime disserit; verum de *amante*, de *actione spontanea* per quam amemus, minime anquirere curat. Apud eum amicitia adeo ratione temperatur ut sit mutua quædam et æqua contemplatio *boni* quod in amicorum animis versetur; ita ut, etiam in *ethica amicitia* ecquid supersit *theoreticum* quod cum universa doctrinæ comprehensione quadret (2).

Profecto, si nobis, ut Aristoteli, placeret amicitiam ratione sola constitui atque virtuti ab utroque

(1) « Si l'on me presse de dire pourquoi je l'aimais, je sens que cela ne se peut exprimer qu'en répondant : parce que c'était lui, parce que c'était moi. » *Essais*, livre I, chap. XXVII.

(2) ...'Ο μὲν δίκαιος δεῖται πρὸς οὓς δικαιοπραγήσει καὶ μεθ'ὧν, ὁμοίως δὲ καὶ ὁ σώφρων καὶ ὁ ἀνδρεῖος καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστος· ὁ δὲ σοφὸς καὶ καθ' αὑτὸν ὢν δύναται θεωρεῖν... · βέλτιον δ'ἴσως συνεργοὺς ἔχων, αλλ'ὅμως αὐταρχέστατος. (*Eth. Nic.*, Lib. X, cap. VII.)

amicorum in altero perceptæ, pro rata parte, respondere; tum per ἰσότητος legem definiri atque omnino explanari posset; amicitiæ vero non solum intelligentia sed etiam tum libera voluntate, tum pectoris affectione stabiliendæ, ea ἰσότητος ratio non sufficit.

Quod si non ad solam rationem, quæ virtutum æqualitatem ab amicis exigat, sed etiam ad libertatem respexerimus, quam penes est, invita ratione, inæqualitatem pati, constabit duos homines, etsi iniqua virtutum summa præditos, tamen alterum alteri æqua caritate conjungi posse. Nempe qui semet ipsum, qualis sit, *totum* amico suo dedit, is munus quam optimum præstat, etiamsi ipso melior evadat amicus qui munus acceperit. Quid enim amplius, quid pretiosius, quid gratius quam sui ipsius donum præbere posset? Non doni pretium, sed donandi voluntas beneficii vim efficit ac metitur. Profitendum ideo est, æqualitatem illam ab Aristotele expetitam fieri non posse, nisi uterque ex amicis alterum toto animo ac gratuita liberaque caritate diligat, *personæque* suæ munus alter alteri largiatur. Neque nobis absurdum videtur si homo alter alteri *personæ* suæ munus largitur; neque magis absurdum si homo imperfectus finitusque ab infinito perfectoque deo ametur: quod cum Aristotelis opinione omnino repugnat. Imo, philosophum nostrum ad deserendum amicum, qui mutatus erit, nimis promptum judicabimus; Nempe postquam virtus ex animo forte effugerit,

nihilominus restat animus ipse, superest *persona* demum, deterior quidem atque honestate deturbata, sed adhuc libera nec amissam honestatem recuperandæ impar, præsertim si amicus periclitanti adfuerit a quo efficienter adjuvaretur. Tunc locus erit beneficentiæ illi quam præstantissimam φιλίας formam noster habet quamque εὐεργεσίαν vocat; tunc amicitia virtus vere dici poterit, quoniam per libertatem sese exercuerit, atque arctiores justitiæ fines egressa, plus dederit quam acceperit.

Denique postquam animus amici temperantia, fortitudine, justitia, ceteris demum virtutibus vacaverit, quumque in animo ita deserto nihil superesse Aristoteli videretur quod amari posset, nos animum ipsum diligendum habebimus, scilicet personam virtuti superstitem consciamque sui, infinita voluntatis vi munitam infinitoque libertatis pretio valentem. Quamobrem *caritate nostra*, quæ recentior virtus est, amicum usque prosequendum et arbitramur et præcipimus, quem veterum *justitia* deseri jussisset.

Vidi ac perlegi,
Lut. Paris. in Sorbona,
A. d. XIV Kal. Dec, an. MDCCCLXXXI,
Fac. Litter. in Acad. Paris. decanus,
H. WALLON.

Typis mandetur:
Academiæ pariensis rector.
GRÉARD.

Nancy. — Imp. Paul SORDOILLET, rue Saint-Dizier, 51.

ERRATA



Pag.	*Lin.*	*Pro*	*Lege*
14	9	vult	velit
21	16	persolvet	perimplet
21	19	qua	quæ
24	12	ratione, sola	ratione sola
29	8	ita ut	ita
30	1	familia	familiæ
42	6	ipsum me	ipsum
49	27	attigerit	attigit
56	21	ecquid	aliquid
58	4	recuperandæ	recuperandi

NANCY. — IMPRIMERIE PAUL SORDOILLET.

